



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Venditio omnium bonorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Venditio omnium bonorum.

14. Potest quispiam vendere omnia bona sua, tam praesentia quam futura. Ita Bart. in *l. stipulatio, si de verb. signif. num. 6.* & communiter. Qui tamen dicit se vendere omnia bona sua (nisi aliud ex verbis colligatur) censetur vendere solum praesentia, & non futura. Ita Mol. *rom. 2. d. 340.* quia venditio est odiosa, adeoque restringenda. Idem dicit de donatione omnium, si quando est valida, ex Mol. *ibid. & dub. 280.*

15. Dices: Donatio omnium bonorum praesentium & futurorum, non est valida, ex Covar. in *Rub. de testam. alique passim* (nisi forte titulo oneroso, ut si donatio fiat filiae ut matrimonium contrahat, quo etiam reducitur renuntiatio volentis prosteri vitam religiosam) ergo non venditio; Respondeo, esse disparem rationem, per donationem enim adeo universalem homo fit intestabilis, à quo leges civiles abhorrent: at per venditionem non item, quia potest testari & pretio. Lege Less. *lib. 2. c. 18. dub. 13. num. 93.*

Venditio Hereditatis.

16. Praeterea potest haeres vendere totam hereditatem, vel eius partem, mortuo tamen illo, cui in hereditate succedit: At eo vivente, venditio est nulla, cum sit contra bonos mores *l. 1. ff. de hered. timetur enim, ne emens illius mortem intenter.* Addunt leges *l. 2. ff. de iis, quibus indignis*; si ad hunc ementem postea deferretur hereditas, eam ab ipso esse tollendam, & applicandam filio. Excipe primò, ex Molin. *d. 340. citat.* quando consentit Dominus hereditatis; nam consentienti non fit iniuria. Excipe secundò, quando quis vendit hereditatem veluti in genere, quam, verbi gratia, habitus est, non indicando, sive expresse sive tacite personam, cui est succedendum: Siquidem ex hac venditione, non potest timeri mortis machinatio, colligitur ex eodem *ibidem*, & sic intelligitur lex *3. §. cum specialiter*, & §. *illo*, & lex *si societatem universalem*, ff. *de Socio.*

Venditio Debitorum.

17. Possunt insuper vendi debita, & actiones, *l. emptor, ff. de hered. (quo pretio,) dicam inf. §. 8. à num. 1.* quae quis habet contra alium (& etiam donare) & tunc emptor non solum habebit actionem in rem debitam; verum etiam in pignus, & in fideiussorem.

Venditio rei litigiosa.

18. Praeterea vendi non potest, ut nec donari, res actu litigiosa, id est, super qua cum adversario sit tibi quomodocunque, etiam per primam citationem, pendet. Lege Fagund. *de contrah. lib. 5. cap. 24. & ibid. citatos.* Ratio est, quia sic posses vendere, vel donare potentiori, quam sit adversarius, in eius praedictum. Ad sunt tamen casus, in quibus potest, ut si donaretur in doctem, &c. quos vide apud Fagundez *ibidem*. Qui huius per notat duo. Primò, teneri eiusmodi emptorem, vel donatarium reddere rem litigiosam Domino, etiam in conscientia, & ante sententiam, quia venditio, vel donatio est nulla. Secundò, non esse nullam, sed validam, si fiat, vel ex causa iusta, vel autoritate iudicis.

19. Dixi (actu litigiosa) nam ea, contra quam timeatur, etiam de proximo lis, vendi potest, licet minoris, ut dicitur *inferius*. Alias res, quae vendi non possunt, vide apud de Lugo *rom. 2. de iustit. disp. 26. à num. 17.* legesque ab ipso citatas.

Venditio eius, quod nondum est.

10. Quamvis quod non existit, vendi non possit, quia

nihil venderetur, tamen, si est in spe, potest vel maiori pretio iuxta maiorem, minorisve pretii, ancilliarumque, fructus arborum, iacturae, qui vendit, & tunc profecto tamen, qualem in rebus adhiberet propriis: secus si garetur ad restitutionem, quanti intereat emptoris gentia.

1. Vnum hic distingue: Nam quando venditur fructus, & partus, si nihil nascatur, emptor tenetur solvere conventum pretium: At vero, quando datur iactus piscationis, vel venationis, tamen si capiatur, tenetur emptor illud solvere. Ratio distinetur praeter iura *l. nec emptio*, & *l. emptorem*, §. *ad. de alim. ff. de action. empt. nec emptio*, ff. *de contrah. empt. l. 1.* quia in prioris venditione (nisi aliud forte expressa conditio, si nascantur, in posteriore vero, non). Siquidem in prioris semper supponitur aliquod enasciturum, non vero idem supponitur in posteriore. Collige id ex iisdem verbis contractus: nam in prioris contractu dicitur, te emere fructus, & partus, id est, id est, ipse ipsam praesentem, atque adeo non enasciturum.

22. Quæres: In Sicilia Regno adest lex *rom. 1. §. 1. gmat Regni Sicilia, Tu. 61. pragmat. 4.* ne quis emat frumentum collatas, atque adeo, ne quis vendat frumentum in spe. Debetne ergo limitari pro nostris Regionibus, praecedens allata doctrina? Respondeo, nequaquam, quia lex non loquitur de vendentibus segetes solum, sed de vendentibus, ementibusque frumentum, quod est longe diversum, ut patet ex legesquam examinabimus, *infra §. 7. num. 10.* cum de contractu Mallarij, & Mercatoris.

§. I V. De Pretio iusto rerum.

1. Praemitto ex Less. *loc. cit. cap. 21. disp. 2. Molin. loc. cit. disp. 347.* de Lugo *d. 26. sect. 4. & 5. & pag. 1.* Pretium iustum duplex esse. Alterum dicitur legimum, quod publica auctoritate, vel lege confirmatum, idque in indivisibili consistit, itaut non possit in alio preteteriri. Alterum est naturale, seu vulgare, seu arbitrium, quod constituitur communi hominum aestimatione, spectata naturali ratione, secundum rerum naturam non in se, sed in ordine ad usus humanos, iuxta consuetudinem Regionis constitutos mores. Quod quidem tripliciter est: Primum, summum, quod etiam appellatur maximum, supremum, rigorosum. Secundum, medium, seu moderate, seu moderatum, Tertium, infimum: Solet, verbi gratia, ultrapannia ad summum valere triginta duobus Italianis, erit ergo hoc pretium supremum; Ad minus triginta, viginti novem, erit hoc infimum. Intermedium inter praedicta erit moderate. Quantum debeat distare infimum vel medium à supremo, ut iustum sit, certa regula determinari non potest, sed prout in fòto, & communibus negotiationibus sine fraude apparet.

2. Pari modo: ad iuste discernenda eiusmodi pretia, debet attendi hominum (etiam imprudentium) aestimatio *l. pretia rerum*, ff. *ad. l. falcid.* dummodo sit sine fraude, & communis; quanti scilicet res aestimatur, & venduntur communiter. Certè imprudentes sunt loci, qui argentum, & aurum vendunt, seu commutant vitibus tintinnabulis, & similibus crepandis: & tamen quia tanti communiter illa ibi aestimantur, non iudicatur venditio, vel emptio iniusta.